

## Band X., Nr. 4727, Seite 392-394

*Schenk Friedrich und sein Bruder Ulrich verkaufen den Johannitern in Hall  
zwei Fischenzen bei Hall und Gelbingen.*

Ohne Ortsangabe, 1295. September 17.

Nos Frydericus imperialis aule pincerna de Limpurg nec non et frater noster Ulricus universis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in eo, qui est verus salutaris, cum notitia subscriptorum. Contentionis prestat materiam ignorantia rei geste, unde multis incommodis ac periculis occurritur utiliter et prudenter, dum presentis temporis actus et negotia scripture testimonio fulciuntur. Noverit igitur presens etas et successura posteritas, quibus presens scriptum nosse fuerit oportunum, quod nos Fridericus pincerna de Lympurg predictus ac frater noster Úlricus coadunata manu et deliberato animo ac consensu spontaneo accedente vendimus et tradidimus titulo emptionis duas piscationes religioso viro fratri Walthero de Lympurg nostro fratri carnali predilecto commendatori sacre domus hospitalis sancti Johannis Jerosolymitani in Hallis gerentique vices reverendi magistri fratris Gottfridi de Clingenfels magni preceptoris per Sweviam et Franckoniam et domui ordinis predictae prope Halle consistenti ac fratribus singulis et universis in eadem domo manentibus sive imposterum conmorant[ibus] pro triginta libris Hallensium minus una libra, quarum predictarum piscationum unam possident Ulricus piscator et frater suus Fridericus filii quondam Waltheri piscatoris bone memorie nunc defuncti, que sita est in fluminibus prope muros civitatis Halle extendens a ponte superiori lignee usque ad villam<sup>1</sup> proximam inferius ibi sitam. Aliam vero piscationem sitam in villa sive in terminis ville Gelbingen, quam nomine [?proprietatis] hucusque tenui, ea[n]dem piscationem predicto fratri Walthero de Limpurg commendatori domus predictae nec non et ipsius successori ac fratribus prenotatis eo iure ac titulo vendidi ac tradidi cum piscatione prenotata pro peccunia superius assignata, quam piscationem possident Waltherus dictus Wittige et Waltherus filius fratris sui tali stipulatione sive contractu, ut ipsi persolvant servitium debitum, quod predictae piscationi est assignatum. Nos vero Fridericus pincerna de Limpurg predictus et frater noster Úlricus nostrique heredes predictum venditionis contractum ratum et firmum habentes tali nomine conditione et pacto prehabito, quod, quando nos Fridericus pincerna prefatus de Limpurg sive etiam frater noster Úlricus nostrique heredes peccuniam pretaxatam volumus seu

<sup>1</sup>Die Weiler-Vorstadt von Hall, in der das Johanniterstift selbst lag.

## II

etiam nobis visum fuerit expedire, possumus commendatori sepefato ac ipsius successori domuique seu fratribus prenotatis assignare, in nostro arbitrio consistat predictas piscationes posse reemere et rehabere pro ipsa quantitate pecunie pro qua piscationes predictae fuerint venundate, et nos Fridericus pincerna fraterque noster Ūlricus nostrique heredes recognoscentes et abdicantes de fructibus a piscationibus perceptis non debere nec posse a commendatore et fratribus prehabitis in posterum habere repetendi facultatem hiis predictis conditionibus sive stipulationibus.<sup>2</sup> Nos frater Waltherus de Limpurg commendator ordinis ac domus predictae et fratres eiusdem ordinis ac domus in Halle recognoscimus Friderico pincerne de Limpurg suoque fratri Ūlrico ipsorumque heredibus in predictis bonis redimendis hanc fecisse gratiam ex amicitia speciali. Huius rei venditionis testes sunt: frater Conradus de Spira prior domus in Halle, frater Heinricus plebanus in Gotbolthusen; frater Cūnradus de Holtzhusen, frater Burkhardus, frater Ūlricus, frater Waltherus dictus von der Dannen<sup>3</sup> fratres ordinis ac domus prenotate, Wolframus miles, Ruckerus de Schefauwe, Waltherus Ysenhūt et Albertus frater suus, Heinricus miles dictus Unmare scultetus civitatis in Halle, Waltherus de Kuntzelsauwe, Hainricus de Tullauwe, Waltherus dictus Sulmeyster in Halle. Nos vero frater Waltherus de Limpurg commendator ordinis ac domus predictae ac fratres ad fidem futuris omnibus faciendam de venditione sive contractu permutationis rite cedebatē presentem litteram munimine sigillo domus nostre roboravimus, ne heredibus predictorum prestetur occasio [litem] super piscatione vendita suscitandi.<br> <br> Acta sunt hec anno domini MCCLXXX quinto, XV. kalendas Octobris, in die sancti Lamperti episcopi et martiris.

—

Nach dem Limpurger Registraturbuch.

---

<sup>2</sup>Die Konstruktion des Satzes ist nicht in Ordnung.

<sup>3</sup>Unermittelt.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

H 14 Nr. 390 (Limpurger Registraturbuch, sog. Rotes Buch), Bl. 234

**Überlieferung und Textkritik:**

Abschrift im Kopialbuch.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Ohne Ortsangabe

**Ortsindex:**

Dannen<br> Gelbingen Wohnplatz (3329)<br> Gelbingen, Schwäbisch Hall, SHA<br> Gottwollshausen Wohnplatz (3333)<br> Gottwollshausen, Schwäbisch Hall, SHA<br> Holzhausen Wohnplatz (4421)<br> Holzhausen, Eschach, AA<br> Künzelsau Wohnplatz (2446)<br> Künzelsau, KÜN<br> Schwäbisch Hall SHA<br> Schwäbisch Hall Gemeinde (3313)<br> Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)<br> Schwäbisch Hall, SHA<br> Speyer, SP<br> Steinbächle : Unteraspach, Ilshofen SHA<br> Steinbächle Wohnplatz (2974)<br> Tullau Wohnplatz (3499)<br> Tullau, Rosengarten, SHA<br> Unterschneifach Wohnplatz (3488)<br> Unterschneifach, Wolpertshausen, SHA